

consanguineorum aliquo modo sibi potest matrimonio copulare' sed magis manifestum fit ex declaratione S. Congreg. Concilii approbata ab Alex. VII. 6. Junii 1658.

26. Binas vero mutationes invexit Synodus Tridentina circa hoc impedimentum in loc. citato. 1^o. Animadvertens Tridentinum Concilium dispositionem juris antiqui non posse observari absque incommodis, impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus, restrinxit ad primum gradum, sive linea recta sit sive obliqua. Hinc vir contrahere matrimonium non potest: cum matre, sorore, vel filia sponsæ suæ, sponsa autem nubere nequit patri vel fratri, aut filio sponsi sui.

27. 2^o. Statuit Tridentinum impedimentum hujusmodi induci solummodo ex sponsalibus validis. Quare sponsalia invalida sive ex defectu consensus, sive ex quocumque alio titulo non gignunt impedimentum.

28. Ut determinetur quænam sint sponsalia valida, et quænam invalida in sensu Tridentini Concilii, sciendum est a Doctoribus distingui sponsalia ita ut alia appellentur *Ecclesiastica*, alia *civilia*, alia *clandestina*. *Ecclesiastica* sunt in quibus promissio futuri matrimonii exprimitur solemniter aliquo modo coram Parocho et testibus; *civilia* ea sunt quæ celebrantur per publicum instrumentum, coram notario et testibus, ut legitima contractus probatio habeatur; *clandestina* sponsalia contrahuntur cum promissio futuri matrimonii exprimitur a partibus absque ulla solemnitate, et quandoque nullo adstante teste.

Ante Tridentinum Concilium, tum sponsalia, tum matrimonia mere clandestina valebant. Tridentinum vero in *cap. 1. sess. 24. De Ref. matrim.* correxit jus antiquum quoad matrimonium, nihil vero statuit relate ad sponsalia; ergo sponsalia remanserunt sub dispositione veteris juris, et proinde quacumque forma et quibuscumque verbis contrahantur, valent et per consequens sponsalia etiam civilia et clandestina, dummodo vitio aliquo non inficiantur, impedimentum publicæ honestatis producent.

29. Et in specie quoad sponsalia clandestina seu occulta, habemus explicitam responsionem S. Pœnitentiariæ diei 10. Sept. a. 1834 in qua dictum est hæc sponsalia valere. Hinc eadem S. Pœnitentiaria juxta oraculum vivæ vocis prima vice datum a summo Pontifice Pio VI., mense Martio 1793, dispensat ab impedimento occulto publicæ honestatis, proveniente ex sponsalibus clandestinis

pro foro conscientiæ quamvis sponsalia fuerint mutuo sponsorum consensu rescissa. Quapropter si in foro externo sponsalia probari non possunt, impedimentum tamen subsistit in foro conscientiæ, illudque debent observare sponsus et sponsa.

30. Nec posset ex adverso objici ignorantia legum, quæ impedimentum dirimens oriri facit etiam ex clandestinis sponsalibus. Nam lex hæc est irritans, quæ omnes tangit dummodo in communitate sit sufficienter promulgata: ignorantia autem legis poterit excusare a culpa in legibus *præcipientibus* vel *vetantibus*, non potest arcere et impedire effectus legis *irritantis*, quæ inducta ob rationem generalem et in bonum societatis, si sufficienter communitati intimata fuerit, urget singulos de universitate, quamvis aliquis legem ignorat, vel quamvis pro eo non verificetur ratio aut periculum cui innititur lex.

31. Diximus secundo loco impedimentum justitiæ publicæ honestatis oriri etiam ex matrimonio simpliciter rato.

Quæritur utrum dispositio Tridentina, quæ impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus ortum coarctat, etiam applicari possit matrimonio rato.

Ex const. S. Pii V. '*ad Romanum*' 1. Julii 1568 § sane, deducitur tenendam esse sententiam negativam. Nam S. Pontifex adnotat Concilium Tridentinum adhibuisse vocabulum *sponsalium*, quod non nisi improprie significare potest matrimonium ratum. Hinc in re odiosa, prout est correctio juris antiqui, sub nomine *sponsalium* intelligi nequit matrimonium ratum. Quare declarat et ab omnibus retineri jubet, impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio rato ortum, remanere sub dispositione antiqui juris, et valere in omnibus gradibus, et in omnibus casibus in quibus valebat ante Tridentinum Concilium. Et per consequens dicendum est, hoc impedimentum adhuc urgere, usque ad quartum gradum, illudque enasci etiam ex matrimonio nullo, dummodo nullitas non procedat ex defectu consensus, quemadmodum etiam declarasse Sac. Congregat. Concilii refert Secretarius Lambertini in voto oblato eidem sacræ congregationi die 21. Nov. 1722.

32. Quibus positis, quæritur quid dicendum de matrimonio contracto ante annos pubertatis, in casu quo malitia non suppleverit ætatem. Juxta dispositionem Innocent. III. in *c. 14. De despons. Impuber.*, contractus hujusmodi non valet tanquam matrimonium sed a Jure consideratur habere virtutem *sponsalium*, id est

consideratur ceu promissio de futuro matrimonio contrahendo. Igitur ex tali matrimonio oritur quidem impedimentum publicæ honestatis, sed illud coarctandum est ad primum gradum. Jus enim ipsum prævidit et explicavit intentionem contrahentium, qui cum non possent se invicem in præsentem tempore obligare, præsumuntur sese obligare voluisse pro tempore futuro.

33. Quæritur utrum et in qua extensione oriatur impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio nullo, ob defectum formæ Tridentinæ in locis ubi promulgatum est decretum *cap. 1. sess. 24. De Ref. matrim.*

Matrimonium clandestinum in locis ubi promulgatum est Concilium Tridentinum nullum certe est, immo neque tenet sub ratione sponsalium; et revera in casu invocari potest principium 'Qui agit contra legem nihil agit'. Atque ad ita sentiendum adducit etiam authentica interpretatio Tridentinæ dispositionis. Nam in causa 'Messanensi' et in alia 'Geracensi' cum quæsitum esset, utrum matrimonium contractum per puberes, absque præsentia Parochi, post publicatum Tridentinum decretum, resolveretur in sponsalia de futuro, ita ut pars reluctans cogi posset ad contrahendum solemniter matrimonium, responsum est 'negative'. Refert istas resolutiones Bened. XIV. in *Inst. Eccles. 46. n. 23.* Quibus et alia conformis ejusdem S. Congreg. responsio addi posset data mense Martio 1587. Ex quibus conformibus responsionibus aperte inferitur, in dubium revocari non posse principium superius expositum.

34. Ex quo principio inferunt aliqui cum Sanchez *De matrim. lib. 7. disp. 7. n. 13.*; ex matrimonio nullo ob impedimentum clandestinitatis non oriri ullo modo, neque ad primum gradum impedimentum publicæ honestatis, quia hoc matrimonium est sub omni respectu nullum. Idest consensus expressus in hoc matrimonio haberi debet ceu non positus, quia positus non est in forma juridica, et per consequens matrimonium dici debet nullum ex defectu consensus, ex quo etiam juxta jus antiquum, impedimentum publicæ honestatis non oriebatur.

35. Sed si res intimius consideretur videtur melior contraria sententia. Nam absque dubio partes in hoc contractu clandestino intendunt libere consensum ponere matrimoniale. Ergo consensus, revera adest ac proinde matrimonium si nullum est, non est nullum ex defectu consensus, sed ex defectu formæ substantialis.

36. Neque dici debet consensum in forma illegitima elicitum, nullum esse; nam nullus est utique ad obtinendum effectum ad quem dirigitur, scilicet ad ineundum valide matrimonium; non est autem nullus ad contrahendum impedimentum publicæ honestatis. Matrimonium nullum est enim ex defectu consensus, et proinde incapax ad producendum impedimentum publicæ honestatis, quando revera defuit consensus, vel ex vi et metu, vel ex errore. Hisce enim in casibus proprie dicitur nullum matrimonium ex defectu consensus. Atqui in matrimonio clandestino non deest consensus hoc modo. Ergo matrimonium clandestinum inducit impedimentum publicæ honestatis, ceu matrimonium simpliciter nullum.

37. Quæritur utrum ex matrimonio civili oriatur impedimentum publicæ honestatis.

Hæc quæstio incepit tractari a Doctoribus, postquam Legislatio civilis, Ecclesiæ vigilantiam et sapientiam spernens, in aliquibus regionibus propriam formam conjugalis contractus invenit. Quare quæstio hujusmodi proprie respicit loca in quibus Tridentinum Concilium publicatum est et servanda est forma Ecclesiastica in matrimoniis celebrandis. Procul dubio rationes non aspernabiles militare videbantur pro affirmativa sententia, sane sequentes fiebant animadversiones.

38. 1º. Habemus ex una parte civilem auctoritatem, quæ imponit suam formam in eum præcise scopum, ut subditi contrahant matrimonium; habemus ex alia parte ipsos contrahentes consensum exterius promere in ordine ad suscipiendas obligationes, et assequenda jura status conjugalis. Quare actus civilis sese offert sub specie contractus matrimonialis invalidi quia celebratur extra formam substantialem Tridentinam.

39. 2º. Ecclesia illum considerare videtur sub hoc respectu. Nam si post civilem contractum conjuges simul vivant ceu vir et uxor, nec alteruter eorum induci possit ad ineundum matrimonium coram Ecclesia, altera pars potest petere et assequi a S. Sede dispensationem *in radice*, qua nempe dispensatur circa impedimentum clandestinitatis, et effectus dispensationis retrahitur ad tempus initi civilis contractus. Igitur consensus positus coram officiali civili, consideratur saltem ceu consensus naturalis illegitime positus; scilicet civile matrimonium habetur, ceu matrimonium nullum, non quidem ex defectu consensus, sed ex defectu formæ Tridentinæ, idest ob impedimentum clandestinitatis. Unde dici

posse videbatur ex actu civili oriri impedimentum publicæ honestatis, tanquam ex matrimonio nullo.

40. At ex adverso animadvertebatur 1º. præsumendum esse fideles consensum suum coram magistratu civili, præstare juxta mentem Ecclesiæ, quæ est ut intentionem habeant efficiendi meram cæremoniam civilem. (*Bened. XIV. in Epistola ad Simonem Carmelitam.*)

2º. Matrimonium civile producere merum concubinatum, adeoque excludere omnem ideam conjugalis vitæ. Unde nullus effectus Ecclesiasticus oriri posse dicebatur ex actu civilis matrimonii.

41. Rebus sic stantibus S. Congregatio Concilii die 13. Martii 1879 quæstionem resolvit pro negativa sententia, quare prodiit sequens formale decretum, approbatum a summo Pontifice Leone XIII. in audientia diei 7. Aprilis ejusdem anni.

Decretum.

‘Postquam laici legum latores, præter civiles et politicos effectus, impio ausu ipsum pervadere ac moderari præsumpsere matrimoniale fœdus, quod a Deo auctore naturæ ante omnem civilis societatis existentiam primitus institutum, ac ad ineffabilem sacramenti dignitatem deinde a Christo Redemptore evectum, quamlibet politicam et civilem jurisdictionem penitus excedit, pluries Episcopi alique animarum pastores ab Apostolica Sede anxii postularunt, an ex actu civili, qui honorandum usurpat matrimonii nomen, impedimentum justitiæ publicæ honestatis oriatur. Quæ postulationes cum iteratæ postremis hisce temporibus fuissent, Summus Pontifex mandavit ut hujusmodi negotium a S. Congregatione Eminentissimorum ac Romanorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, rite ac sedulo expenderetur. Sacra autem congregatio, exquisitis virorum in theologicis et canonicis disciplinis peritorum consultationibus, ac re matura discussa in generali comitio diei 13. Martii 1879 propositæ dubii formulæ ‘*An actus qui vulgo audit matrimonium civile, pariat impedimentum justitiæ publicæ honestatis*’ rescripsit ‘*Negative, et consulendum Sanctissimo ut id declarare ac statuere dignetur*’.

‘Quapropter Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII., audita universa rei relatione, in audientia diei 17. ejusdem mensis in voto S. C. concedens per præsens decretum declarat ac statuit, præmemoratum actum, qui vulgo dicitur *matrimonium civile*, in

locis ubi promulgatum est decretum Conc. Trid. *sess. 24. cap. 1. De Reform. matrim.* sive fideles actum ipsum explentes intendunt ‘uti par est, (matrimonio ecclesiastico jam rite celebrato, vel cum animo illud quantotius celebrandi) meram cæremoniam civilem peragere, sive intendant sponsalia de futuro inire, sive tandem ex ignorantia, aut in spretum ecclesiasticarum legum, intendant matrimonium de præsentem contrahere, impedimentum justitiæ publicæ honestatis non producere.

‘Atque ita etc.’

42. Animadvertimus vero, præfati decreti virtutem coartari ad solum effectum publicæ honestatis impedimenti. Hinc quoad reliqua nihil est innovatum. Unde ex. gr. S. Sedes etiam hodie concedere solet sanationem *in radice* matrimonii civilis, quemadmodum consueverat ante decretum.

43. Quæritur: Quid si quis post contracta sponsalia cum puella, matrimonium de præsentem contrahat cum sorore ejusdem?

Matrimonium hujusmodi est invalidum ob impedimentum publicæ honestatis. At ex hoc matrimonio nullo non oritur impedimentum in præjudicium præcedentium sponsalium, quæ adhuc valida remanent, quia impedimentum publicæ honestatis non operatur retrorsum. Ita in *cap. un. De spons. et matrim. in VI.* Hinc pars quæ matrimonium celebrare ausa est, poterit matrimonium contrahere cum altera parte, cum qua sponsalia contraxerat.

44. Tertius casus considerandus in titulo, juxta ea, quæ in principio tituli innuimus, respicit concursum sponsalium posteriorum cum prioribus sponsalibus.

45. Breviter de hac re dicimus, priora sponsalia servanda esse, et posteriora non valere *cap. 22. De spons. et matrim.* Nam argumento *cap. 31. eod. tit.* obligatio posterior in eodem ordine, ab alia contraria et æquivalenti obligatione priori prorsus excluditur, et proinde id quod uni promissum est, alteri promitti nequit.

46. Nec aliquid facit si secundis sponsalibus adjectum fuerit juramentum, nam juramentum obligationem non inducit in præjudicium tertii.

47. Pariter idem dicendum in casu, quo novis sponsalibus accesserit carnalis copula; scilicet priora adhuc valent sponsalia. Nam injuria quæ forte illata est per copulam, non mutat naturam obligationis sponsalium, et per consequens adhuc verificatur conflictus inter binas obligationes contrarias, et æquipollentes, in quo

conflictu prior tempore vincit. Supposita enim existentia certæ obligationis, non potest introduci alia obligatio ejusdem generis et ponderis contraria priori.

TITULUS V.

De conditionibus appositis in desponsatione vel in aliis contractibus.

1. Consensus, per quem contractus perficitur, potest exprimi *pure et simpliciter, vel aliquid eidem adjici potest.*

Prima et præcipua adjectio, quæ contractibus accedit, est conditio, cujus notio est ut definiatur '*Adjectio quedam contractui apposita, obligationem suspendens in tempus vel in eventum futurum*'. Hinc *proprie* conditio non est quæ de præsentis, vel de præterito est, ex. gr. contraho tecum si es filia ducis. Hæc enim adjectio non suspendit obligationem, sed obligatio statim urget vel non urget, prout verificatur vel non id quod supponitur.

2. *Improprie* autem hæc adjectio dicitur conditio, quia tempore contractus ignoratur, seu dubia est veritas cujusdam qualitatis, quæ principaliter intenditur in contractu.

Impropriis conditionibus accensetur etiam *conditio necessaria de futuro*. Quod enim certe eveniet, haberi potest uti præsens. Hinc in l. 9 ff. '*De novationibus*' dicitur '*Qui sub conditione stipulatur, quæ omnino exitura est, pure videtur stipulari*'.

3. Indoles vero *proprie* dictæ conditionis est, ut referat obligationem, in aliquem futurum eventum, ita ut voluntas non sit voluntas quoadusque eventus futurus non fiat præsens, sive ille sit *fortuitus*, seu *casualis*, sive sit *potestativus*, scilicet nostro arbitrio remissus.

Hinc in æstimanda conditione, eaque distinguenda ab aliis adjectionibus, constare debet contrahentes noluisse ratam habere obligationem, priusquam adjectio expleatur.

4. Conditiones dividuntur in *possibiles* et *impossibiles*. Possibilis est, quæ rerum naturalium ordinem non superat, secus dicitur impossibilis; quemadmodum esset quæ in legibus Romanis adducitur '*Si digito cælum tetigeris*' quia vires nostras superat. Hinc in conditionibus potestativis possibilitas ex viribus agentis æstimatur.

5. Conditiones possunt esse *honestæ* vel *turpes*. Honestæ sunt illæ, quæ nulli legi, sive naturali, sive divino-positivæ, sive etiam

humanæ adversantur. Inhonestæ vel turpes illæ dicuntur, quæ sunt contra bonos mores vel leges.

6. Inter inhonestas conditiones nonnullæ sunt contra substantiam conjugii, quia bonis substantialibus ejusdem adversantur. Tria autem sunt bona conjugii substantialia, scilicet bonum prolis, bonum fidei, bonum sacramenti. Quare 1^o. contra substantiam conjugii sunt conditiones, quæ adversantur bono prolis, ad cujus honestam procreationem ordinatur matrimonium, ex. gr. contraho tecum si prolem evites, si prolem occidas; 2^o. contra substantiam conjugii sunt conditiones positæ contra bonum fidei seu fidelitatis observandæ a conjugibus. Nam cum matrimonium ordinatum sit ad individuum societatem unius cum una, ita ut vir non habeat potestatem corporis sui sed mulier et viceversa (*1. Cor. VII.*), ex ipsa natura matrimonii fluit necessitas mutuæ fidei inter conjuges servandæ. Hinc esset contra substantiam matrimonii hæc conditio '*contraho tecum, dummodo te adulterandam quæstus causa tradas*'. 3^o. Substantiales turpes sunt conditiones, quæ bono sacramenti opponuntur. Ex ratione siquidem sacramenti exurgit vera indissolubilitas matrimonii christiani. Hinc si consensus alligaretur eventui futuro, ex quo dissolveretur matrimonium, conditio hæc esset contra substantiam ejusdem matrimonii ex. gr. contraho tecum donec inveniam aliam te ditiozem.

7. Quæritur utrum matrimonio adjici possint conditiones.

De matrimonio habemus cap. 5. h. t. Urbanus III. in hoc capite respondens in specie proposita de juvene, qui contraxerat sub conditione '*si pater consensisset*', videtur hanc conditionem admittere, quamvis hæc conditio durior præ aliis sit. Est enim potestativa, arbitrio tertiæ personæ remittens exitum obligationis conjugalis contractus.

8. Verum ob incommoda, quæ inde advenerant, et advenire possunt ob suspensam obligationem, necnon ob incertam determinationem implementi conditionis, ex quo oriri possunt non paucae dubietates et quæstiones, inductum est saltem in praxi, ut non admittatur celebratio matrimonii, in forma conditionata, nisi gravis ratio suadeat conditionalem consensum ponendum esse.

9. Quid vero dicendum si de facto matrimonium sub conditione celebratum fuerit?

Quoniam conditiones possunt esse honestæ et inhonestæ, possibiles et impossibiles, sermo sit, primo loco: